

WC
934





A. 68, 52

Wc
934

MEMORIAE
AVGVSTI SCHOLARVM PATRONI
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
ERNESTI AVGVSTI


DVCIS SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE AC MONTIVM
ANGRIAE ET WESTFALIAE
PROVINCIALIS COMITIS THVRINGIAE
MARCHIONIS MISNIAE
COMITIS PRINCIPIS HENNEBERGAE
COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGAE
DYNASTAE RAVENSTENII
EQVESTRIVM QVONDAM COPIARVM SVB CAROLO VI. IMP.
DVCIS CVM IMPERIO

DVARVMQ. LEGIONVM EQVESTRIS ET PEDESTRIIS CHILIARCHAE
PATRIS PATRIAE DESIDERATISSIMI
SVPREMOS PIETATIS HONORES
AB ILL. GYMNASIO ISENACENSI
D. XXVII. MAII HOR. II. POM. A. clo lccc XXXXVIII.
SVBMISSISSIMO CVLTV PRAESTANDOS
INDICIT

ET AD CONCELEBRANDAM RELIGIOSAM CAERIMONIAM
VENERABILES PVBLICAE SCHOLAE EPHOROS
LITTERARVMQ. FAVTORES
INVITAT

IO. MICHAEL HEVSINGER
ILL. GYMNAS. DIRECTOR.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALLE)



ISENACI TYPIS KRVGIANIS.

g

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.





Dum tremendo fulmine celsa AVGVSTAE DOMVS tecta feriuntur, subito ac funesto casu SERENISSIMI PRINCIPIS
ERNESTI AVGVSTI

DVCIS SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGRIAE ET WESTFALIAE PROVINCIALIS COMITIS THVRINGIAE MARCHIONIS MISNIAE COMITIS PRINCIPIS HENNEBERGAE COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGAE DYNASTAE RAVENSTENII *EQUESTRIVM QVONDAM COPIARVM SVB CAROLO VI. IMP. DVCIS CVM IMPERIO DVARVMQ. LEGIONVM EQUESTRIS ET PEDESTRIS CHILLARCHÆ PATRIS PATRIAE DESIDERATISSIMI*, Vinaria, Isenacum, Iena, et quidquid terrarum sub amplissima tanti PRINCIPIS adquevit umbra, perculsum stupet, ac vicina quaeque ad inopinatam eius famam expauescunt: fieri non potest, quin communi omnium in perturbatione praecipuo terrore metuque exanimentur cum ceterae, tum Isenacenses Musae, amisfoque summo et potentissimo PATRONO, suae quoque saluti, quasi in praecipiti stare sibi visae, metuant. Habent hoc tristissimum eminentiorum publicae rei columinum ruinae: media pariter atque infima secum tracta obterunt; quae eadem strage non inuoluunt, non sine vasto tamen horrore formidolosoque tremore praetereunt. Quo magis enim suae sibi humilitatis atque infirmitatis quidque conscium est, eo deteriore se conditione esse intelligit, ubi ne altissima quidem extra fortunae ictum posita experitur. Deie-

) (2

cto

cto imperatore non ideo quisquam certam sibi salutem promittit, quod contemptiorem in exercitu locum obtinet: qui, quo minus in se praesidii habet, eo periculosius alieno se nudari videt. Itaque PVBLICO PARENTE morti occumbente, non maiorem lugendi causam habent purpurati et proximi summae potestatis administri, quam, infimae fortis clientes quae habentur, et tribu prope motae Musae, vno adhuc ILLIVS praesidio a profanae multitudinis contentu et iniuriis vindicatae. Neque enim illud cuiquam concedunt, se solas infra imperantium curam abiectas, aut litteras scholasque inferiorum magistratuum potestati transcriptas esse vel transcribendas: ab his eas et constitui primum, et constitutas conseruari posse. In magno errore omnes, qui ita putant, versari, facile apparebit prudentioribus, qui, iisdem, a quibus omnia in ciuitate reguntur, scholas quoque se suaque ornamenta debere, eorundemque tutelae antiquitus commendatas fuisse, norunt.

Nam si nihil a se alienum putat gubernatrix vniuersae reipublicae prouidentia, sine quo esse et florere ciuitas non potest: ad scholas quoque ea pertineat necesse est, quibus sublatis quae inter homines veri rectique ignaros, ingeniis, studiis ac moribus disidentes, ius in viribus habituros, esse possit societas, quis non videt. Quae tanta vis, quae ratio ex feris et immanibus mites deinde et mansuetos reddet, nisi tenerorum adhuc animorum conformatio ac matura ad humanitatem institutio salubris imperii patientes effecerit? Quae facultas cum propria sit scholarum: ne his careat respublica, non iis magis prouidendum est, qui eius partem, quam qui summam administrant. Vtrum vero primum, an postremum dignitatis locum apud nos sortita sint ista ciuitatis seminaria, ad rem ipsam parum interest: dum modo illud concessum fuerit, non aliunde haberi, quorum opera publice priuatimue patria iuuetur. Vt corporis nostri membra alia ad decus, alia ad necessarios tantum vsus a natura data sunt, nullum vero omnium vile aut spretum est rectori totius molis animo

mo: ita et in ciuitate multa quidem litterariis ludis aliquanto sunt splendidiora; hi vero ceteris, quibus ea indiget, non nimis longo interuallo postponendi, nedum iis delegandi, quorum auctoritatem non aequae omnes reuerentur. Parum enim tuto infirmis creditur, quod ereptum irreparabilem domino adfert iacturam. Fuit quondam tempus, quo iuuentutis institutionem, non tam omisam, quam legitimis rerum publicarum rectoribus extortam, sibi arrogarunt pontifices Romani et pontificiae tyrannidis satellites, qui soli aperendarum regendarumque scholarum sibi vindicare ausi sunt. Id vero quanto totius orbis Christiani malo illi perfecerint, quantis certaminibus et periculis suis ius suum hi repetierint, non ignorant illi, qui superiorum temporum monumenta voluerunt. Multa itaque virtute ac vigilantia id sibi tuendum censent, quod si alienae possessioni ceserit, multarum in re publica perturbationum causa sit futurum. Nam etiamsi a pontificia fraude nunc quidem in his regionibus nihil metuendum videatur: nusquam tamen desunt aemulae illius et inimicae liberioribus erectioribusque studiis insidiae, quae his quasi cuniculis meliorem rei publicae statum subruere, et cum superstitione barbariem reducere conentur. Non improuisum hoc fuit primis antiquae et incorruptae religionis libertatisque Germanicae vindicibus, qui, a scholis repurgandis et in melius restituendis orsi, non ad academias tantum et gymnasia, sed ad elementarios quoque ludos curam suam demiserunt, et ad hos adeo ordinandos suprema auctoritate vti turpe sibi non duxerunt. Quod nisi fecissent, numquam ad vnam ac sibi per omnia consentientem aliquam formulam vniuersa minoris aetatis institutio reuocari potuisset.

Qui primi scholarum conditores fuerunt, optimi ac fidelissimi earumdem possunt esse conseruatores. Ab his minus facile in legendis praeceptoribus mandandoque docendi munere erratur, quam a ceteris, alieno magis, quam suo periculo, id ad indignos deferentibus. Multum gratia, parium studium odiumue, preces,

pretium apud eos valent, qui ultra communem sortem non sunt euecti. Horum suffragiis non mirum est, si idoneis aliquando praeferruntur, qui ad alios instituendos omnium sunt ineptissimi. Magis enim sibi obnoxios fore sperant, quibus, quo fidant, ingenii, doctrinae et virtutis quam minimum esse sciunt. Quo fit, ut eos plerumque praeceptores accipiant scholae plebeiae potestati permisae, quos forte potius et casu, quam consilio, datos existimes. His tradendarum artium disciplinarumque vias, nec auditas antea, nec usu cognitae, qui deinde monstrare debent, ipsi nonnumquam haud multo sunt peritiores, ac vel plane ab elegantioribus litteris alieni; vel si his quoque aliquid tribuere videntur, adeo leuiter iis tincti, ut duces certe aliis se praeferre nequeant. Hinc multa et pudenda primae institutionis vitia nascuntur, ut perperam discantur multa, alia, quae prima esse debebant, praetereantur, et ne primoribus quidem labris degustentur. Cur enim pauci ex eiusmodi scholis aliquam veteres scriptores intelligendi et interpretandi, pure, proprie et emendate scribendi facultatem, vix vllum denique liberalis doctrinae gustum referant, non alia frequentior fere causa reperietur. Accedit his aliud non leuius malum, solutior disciplina et necessaria auctoritate destituta: cum tam diu valeant leges, quamdiu eorum liberis parcunt, a quibus latae sunt; prudentioresque habeantur magistri, qui praevalenti licentiae flagitiose cedunt, quam qui vano conatu sese opponunt. Omitto cetera incommoda, tectorum angustias, tenebras, fordes, rimas; magistrorum a fame et contemptu aegre se vindicantium aerumnas; negata studiis praemia, aliaque his fere paria, quibus sola summorum principum auctoritas, prouidentia ac liberalitas mederi potest.

Testis esse potest vel vna Saxoniam nostra, in qua spectata plurimum scholarum celebritas non aliam ob causam minus adhuc periclitata est, quam quod SERENISSIMI florentissimae regionis PRINCIPES earum rectionem ipsi suscipere dignati sunt. Non puduit eos hos studiosae iuuentutis coetus suis saepe oculis obire, inter-
esse

esse litterariis exercitationibus, cognoscere discantium ingenia et profectus, industriam praemiis prouocare, constituere certam docendi rationem, assignare sua magistris munia, praescribere adolescentibus officia, disciplinae seueritatem publica auctoritate confirmare, eiusque vitia censoria grauitate emendare. Nec impensarum eos poenituit, quibus facta tecta scholarum tuenda, praeceptores conducendi, et ad ingenuae doctrinae amorem adliciendi sunt, quos humilior fortuna alio vocat. Quae omnia adeo illustria et in vulgus quoque nota sunt, vt dubitari fortasse possit, vtrum belli an pacis artes impensius fouerint; illud vero certissimum sit, vtrasque illis cordi, has tantae curae fuisse, vt, cum ceteras omnes tum maxime eas scholas, quas academias et gymnasia vocamus, peculiarem nec postremam suae clientelae partem esse voluerint.

Quae cum ita sint, iustissimae Isenacensibus liberalium disciplinarum magistris et cultoribus lacrimarum causae sunt, EIVS se praesidio destitutos inuentibus, sub quo in septimum annum plurimis et grauibus, quae alios indigne premunt, molestiis caruerunt; pluribus, quam ipsi sperare ausi sunt, bonis abundarunt. Cum omnibus illi communitè rempublicam potentissimo rectore, fidissimo legum custode, sceleris et fraudis vindice, patriam parente orbatam lugent: praecipue vero suam litterarumque iacturam deplorant, quam in ERNESTO AVGVSTO tantam fecerunt, quanta illa, qui EIVS de optimis quibusque artibus merita nouerunt, videbitur omnibus. Huius liberius lamentandae facultatem dabit crastinus dies, quo supremum, quod beatissimis Manibus debetur, deuotissimae pietatis officium in ill. gymnasio rite persoluetur. Vtinam, qui demandatas sibi parentandi partes libentissime susceperunt, quantum ad renouandum, tantum ad consolandum dolorem, et ad prorogandam MAGNI PRINCIPIS memoriam valerent. Quantum ingenium quidem atque aetas feret, dabunt operam, vt voluntatem sibi non defuisse appareat. Preces certe praebunt, quibus rogandus nobis est Deus, vt ipse
AV-

QK 934

VD
18

AVGVSTAE DOMVS, acerbissimo casu perculsae; luctum mi-
 nuat, maerorem finiat, eamque ab amisforum bonorum desiderio
 ad eorum, quae vel plura, vel maiora reliquit, cogitationem re-
 uocet haec vero fortunae subducta in dies augeat. Audiat ille rata-
 que habeat, et haec et cetera vota nostra, quibus *SERENISSIMO IV-
 VENTVTIS PRINCIPI ERNESTO AVGVSTO CONSTANTI-
 NO*, paternae auitaeque virtutis non minus, quam fortunae et
 gloriae *HEREDI*, certissimo publicae salutis pignori, amplissima
 corporis et animi incrementa, tempestiuam generosae indolis ma-
 turitatem, longissimum ad sustinendam, amplificandam, futurisque
 saeculis propagandam *GVILIELMINAE DOMVS* dignitatem,
 ceteraque omnia optamus, quae futurum magni populi rectorem,
 maiorum suorum exemplo, ciuium spei responsum, instruunt,
 ornant famaeque adsignant; quae et pro *SERENISSIMI TV-
 TORIS VINARIENSIS ISENACENSIS Q. PRINCIPATVS ADMI-
 NISTRATORIS FRIDERICI III. PRINCIPIS AC DOMINI NO-
 STRI INDVLGENTISSIMI*, perenni salute, felicitate ac perpet-
 uitate nuncupabimus. His sacris ut praeesse velint suspicien-
 di venerabilesque ill. gymnasii *EPHORI* et *PATRONI*, interesse
 vero et omnes iuuenilis pietatis adprobatores litterati, quibus
PRINCIPIS sui memoria sacrosancta est, mansuetiores Musae
 non fordent, precibus ita curatis oro, ut, quin exoraturus sim,
 haud dubitem. Audiant illi, si placet, die, quem dixi, crastino,
 hora II: pomeridiana, duos e prouectoribus adolescentes,
IO. CHRISTOPHORVM DIENER, Salzungensem,
IO. GEORGIVM KOELER, Wafungensem:
 quorum alter *ERNESTVM AVGVSTVM*, tamquam *litterarum et
 scholarum patronum*; alter tamquam *iustum reipubl. praesidem*
 laudabit.

P. P. D. XXVI. MAII A. CID DCC XXXXVIII.



n. 6.




ULB Halle

3

007 417 314







B.I.G.

Farbkarte #13

d. 68,52

MEMORIAE
AVGVSTI SCHOLARVM PATRONI
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
ERNESTI AVGVSTI

DVCIS SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE AC MONTIVM
ANGRIAE ET WESTFALIAE
PROVINCIALIS COMITIS THVRINGIAE
MARCHIONIS MISNIAE
COMITIS PRINCIPIS HENNEBERGAE
COMITIS MARCAE ET RAVENSBERGAE
DYNASTAE RAVENSTENII
EQVESTRIVM QVONDAM COPIARVM SVB CAROLO VI. IMP.
DVCIS CVM IMPERIO

DVARVMQ. LEGIONVM EQVESTRIS ET PEDESTRI CHILIARCHAE
PATRIS PATRIAE DESIDERATISSIMI
SVPREMOS PIETATIS HONORES
AB ILL. GYMNASIO ISENACENSI
D. XXVII. MAII HOR. II. POM. A. clō lōcc XXXXVIII.
SVBMISSISSIMO CVLTV PRAESTANDOS
INDICIT

ET AD CONCELEBRANDAM RELIGIOSAM CAERIMONIAM
VENERABILES PVBLICAE SCHOLAE EPHOROS
LITTERARVMQ. FAVTORES
INVITAT

IO. MICHAEL HEVSINGER
ILL. GYMNAS. DIRECTOR.

ISENACI TYPIS KRVGIANIS.

g

